



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

§. III. An, & qualiter ab Electore contempto impugnari possit electio?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

in hoc puncto consuetudo specialis, vocandum esse distantem, modò sciatur, ubi sit, & utrum intra tempus à jure præfixum electioni faciendæ, adesse possit?

1864. Quæstio est 3. an electio facta, uno ex Electoribus contempto, sit irrita: vel solum irritabilis ad instantiam contempti? Resp. non esse irritam, sed irritabilem; ex c. *quod sicut*; 28. h. t. eos tamen, qui sic elegerunt, non propterea privati potestate pro illa vice eligendi; quia hæc pœna privationis, & devolutionis ad alios, nullo jure est expressa. Unde ad quæstionem: an cassata electione propter contemptum unius, possint Capitulares, unâ cum contempto procedere ad aliam electionem? & prius electum, iterum eligere? Resp. posse; ratio primæ partis est, quia propter illum actum non sunt vel ipsi, vel contemptus: privati potestate eligendi, ut dictum est, ratio secundæ partis est, quia prior electio non fuit cassata propter *vitium electi*; ergo manet eligibilis. Colligitur ex c. *Bona*, junct. gl. V. *expectare*, quâvis Pontifex ejusmodi electores, in pœnam dicti contemptus, privare possit facultate eligendi; gloss. *hic* V. eod.

## §. III.

An, & qualiter ab Electore contemptio impugnari possit electio?

1865. Ante resolutionem not. *contemptum* hic dici, qui, cum vocari potuerit, & debuerit, vocatus non est; vel non ita tempestivè, ut commodè venire potuerit; quod verum est, licet vocatio eorum Capitularium absentium, qui vocari debent, non pertineat ad formam substantialem electionis; quia, ut dictum est n. 1863, aliquibus etiam non vocatis, subsistit electio, quamvis ea rescindi debeat, si contempti prosequantur contemptum; c. *quod sicut*, 28. & *si autem*, de *elect.* ibi: *si autem Miridinenſis Episcopus, & Abbas Mellifontis, qui interesse debuerant, non contempti fuerunt, sed ad electionem vocati* (si tamen sine periculo potuerint convocari) sive nequiverint, sive noluerint ad electionem celebrandam accedere: *ipsorum absentia non potuit electionem impedire. Quòd si eos vocatos non fuisse, constiterit, sed contemptos: infirmata erit electio penitus, taliter celebrata, nisi postea, pro-*

*pter bonum pacis curaverint consentire.* Quibus positis:

Resp. si confirmatio nondum sit facta, contemptos debere prosequi suum contemptum, *intra tempus ipsis datum ad eligendum*; Abbas *in cit. c. quod sicut*, n. 3. sumens argumentum ex c. 2. de *concess. præbend.* ubi contemptus in collatione beneficij, potest contemptum prosequi *intra sex menses*, datos ad conferendum; quamvis rubrica c. *quod sicut*, expressè dicat, contemptum posse prosequi *contemptum etiam confirmata electione.* Et ideo etiam Layman hic n. 9. ait, contemptum petere posse, ut electio, sine ipso facta, *non obstante, quòd confirmata sit, rescindatur*, colligi ex hoc c. id, quod etiam tenet Joannes Andreas hic n. 17. & Innocentius n. 4. ex c. *cum dilectus*, 32. eod. quia confirmatio innititur electioni, tanquam canonicè, & legitimè peractæ: si itaque electio ob aliquem defectum rescindenda sit, cadet etiam confirmatio exinde secuta; arg. c. *qualiter*, 17. h. t. Veruntamen si ij, qui contempti fuerant, quando publico edicto ante confirmationem moniti sunt, juxta c. *ult. h. t. in 6. se non opposuerunt*, censeri debent juri suo renuntiâsse, ut postea audiendi non sint.

Ex hoc deducitur, quòd contemptus 1866. petere possit cassationem electionis; etiam postquam electio confirmata est, imò etiam post consecrationem electi; nam ut habetur *in cit. c. quod sicut*, licet Archiepiscopus Armachanus jam electus, & confirmatus, & consecratus fuerit, tamen decretum est, ut electio cassaretur ob contemptum aliquorum; electio enim valida, sed infirmata, trahit etiam infirmationem confirmationis, & consecrationis.

Quæres 1. quid dicendum, quando 1867. Capitularis contemptus, post publicatum scrutinium adveniens, adjiciat suum suffragium? Resp. quòd non augeat numerum eligentium; per hoc tamen censetur renuntiâsse juri suo, ut non possit amplius prosequi contemptum agendo ad irritandam electionem: at si post publicatum scrutinium, sed ante promulgatum electionis decretum adveniat, potest petere novum scrutinium, & audiri debet, modò sit unus ex his, qui volunt, & possunt commodè interesse electioni.

Quæres 2. an mortuo contempto, suc- 1868. cessor

cessor in beneficio, possit agere de contemptu? Resp. 1. posse, si jus eligendi competit ratione dignitatis v. g. Prælatu- ræ, quia sic contemptus censetur illatus Prælatu- ræ, quæ cum Prælato non extinguitur, c. *si gratiose, de rescript. in 6.* igitur jus vindicandi contemptum, atque adeo petendi cassationem electionis ob contemptum, cum dignitate transit ad Successorem; non autem, si jus eligendi contempto compe- tebat ratione Canonici, vel præbendæ Capitularis. Nam jus Canonici, eo mor- tuo, vel resignante, transit ad Capitulum, c. *relatum, 12. de testam.* Neque dicas: ergo saltem Capitulares eo casu poterunt contemptum prosequi, ad rescin- dendam electionem; Resp. enim, si sic agerent, proprium factum condemna- rent, quod jura non permittunt; con- demnarent enim electionem à se factam; secus est in casu electionis ab alio.

## §. IV.

An contemptus possit renunciare contem- ptui?

1169. **R**esp. quòd possit, quia quilibet renun- tiare potest juri suo, L. *Si quis, C. de pactis*, facta hac renuntiatione potest postea nihilominus ob bonum pacis consen- tire electioni, ac eam ratam habere, c. *quod sicut, §. Si autem, h. t.* intellige si prius valuit electio. Eiusmodi tamen renuntiatio non erit licita, si bonum Eccle- siæ postularet, ut contemptus ad cassati- onem electionis ageret; Sylvester V. *electio 1. q. 5. dicto 5.* supposita autem legiti- ma remissione contemptus, non potest Judex, vel Superior, ad quem confirmatio spectat, vel ex officio, vel ad petitionem adversarij, electionem rescindere. Quia quando non agitur de favore publico, sed privato, Judex non potest vel ex officio supplere, vel exhibere officium, si is, cu- jus interest, jus suum non prosequatur, sed remittat, L. *dies, 4. §. hoc autem, ff. de damno infecto.* Jus autem prosequendi contemptum, petendò cassationem ele- ctionis, inductum est in favorem priva- tum. Favori enim publico, seu juri in- ducto in favorem publicum, renunciare non licet, c. *si diligenti, 12. de foro com- pet.* Si tamen contemptus renunciaret *ex fraude*, illicita foret talis renuntiatio,

& Judex ex officio posset rescindere electi- onem non obstante tali renuntiatione, ne illi fraus sua patrocinetur. Neque dicas: glossa in c. *in Genesi, h. t. V. nec premissa duo*, docet, Judicem posse ex officio res- cindere electionem, etiam supposita ren- untiatione contemptus; Resp. enim, intelligi, si facta est cum fraude; non au- tem secus. Sed:

Quæres 1. an Capitularis, qui electio- ni non vult interesse, cum possit, com- pelli valeat, ut intersit? Resp. negativè, nisi specialiter intersit Ecclesiæ, ut omnes adsint, qui possunt. Nam quisque juri suo renunciare potest, nisi vergat in præju- dicium tertij, communitatis, vel Eccle- siæ, Sylvester V. *electio, q. 5. dicto 3. & Abbas in c. quia propter, h. t. n. 4.* Quia tamen Capitulum sede vacante, imò eti- am non vacante, habet potestatem facien- di statuta quædam de rebus, quæ propriè ad ipsum spectant, v. g. de ratione, & mo- do congregandi Capitulum, distribuen- di redditus, ut colligitur ex c. *cum omnes, de constit.* fieri potest per consuetudinem, vel etiam statutum, ut omnes vocati veni- re teneantur, seclusò impedimentò justò. Hinc in casu, quo Capitulares, legitimè vocati, venire nolunt, aut justa ex causa non possunt, ipsorum absentia non impe- dit electionem; quia sic absentes non censentur in numero Electorum, sed ali- eni, c. *cum omnes, junct. gloss. V. alienos, h. t.*

Si autem quæras 2. penes quos in dato casu sit potestas eligendi? Resp. penes præ- sentes, ex c. *quod sicut, 28. h. t. & colligi- tur etiam ex c. cum omnes, cit.* quod ve- rum est, licet præsentibus sint pauciores ab- sentibus; imò licet tantum unus præsens esset, ut constat ex *dict. in preced.* Ta- met si verò in dato casu, quo tantum unus præsens esset, talis se ipsum eligere non possit, propter notam ambitionis, quam incurreret; posset tamen alium habilem, & dignum nominare, ac Superiori con- firmandum præsentare; vel jus eligendi cedere alteri, sive alij Clerico, uni, vel pluribus, quo casu etiam ipse ad Prælatu- ram eligi poterit; Layman *de elect. Præ- lat. q. 36.*

Quæres 3. an vocatus, sed recusans in- teresse tractatui de die electionis faciendæ, rursus vocandus sit ad ipsam diem electi- onis?

1870.

1871.

1872.